

POPIS PUBLICZNY,

U C Z N I Ó W

SZKOŁY WOIEWÓDZKIEJ WARSZAWSKIEJ

XX. P I I A R Ó W

odbywać się będzie dnia 14. 15. 16. Lipca

N A K T Ó R Y

PRZESWIETNA PUBLICZNOŚĆ

REKTOR i NAUCZYCIELE INSTYTUTU

ZAPRASZA I A.
INSTYTUT

BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA

60-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 77
Tel. 26-88-63

w W A R S Z A W I E 1828 ROKU.



Za Pozwoleniem
CENZURY.

20.049

P O R Z Ä D E K

którym Popis Publiczny roczny odbywać się
będzie 1828. roku.

Dnia 14. Lipca w Poniedziałek.

KLASSA I. i II.

<i>Nauki.</i>	<i>Godziny</i>	<i>Nauczyciele.</i>
Historia naturalna	od 8½ do 9	P. Wierzbicki
Hist. powsz: Polska i Jeografia	od 9 do 10	X. Kamiński, PP. Smar- żewski i Dąbrowski
Arytmetyka i Jeometrya	od 10 do 11	X. Janicki i P. Podymowicz
Nauka Religii i Moral:	od 11 do 11½	X. Malinowski i Petry- kowski
Język Polski	od 11½ do 12.	X. Kamiński i P. Dąbro- wski
Język Łaciński	od 12 do 1	X. Kamiński i Dąbro- wski.
Język Niemiecki	od 1 do 1½	P. Packhäuser

Dnia 15. Lipca we Wtorek

KLASSA III. i IV.

Fizyka i Hist. naturalna	od 8½ do 9	XX. Janicki, Zaczynski. PP. Podymowicz i Wierzbicki.
Hist. powsze: i Polska	od 9 do 9½	PP. Szwaynic, Dąbrowski i Smarżewski.
Jeografia	od 9½ do 10	PP. Szwaynic i Pody- mowicz
Arytmetyka, Jeometrya i Algebra	od 10 do 11	X. Malinowski i P. Smar- żewski
Nauka Religii i Moralna	od 11 do 11½	XX. Petrykowski i Hacz- kowski
Język Polski	od 11½ do 12	PP. Szwaynic i Wierz- bicki.
Język Łaciński i Grecki	od 12 do 1	XX. Haczkowski, Stan- kiewicz i P. Szwaynic.
Język Niemiecki	od 1 do 1½	P. Packhäuser.
Język Francuzki	od 1½ do 2	PP. Bonfils i Guyot.

Dnia 16 Lipca we Środe.

KLASSA V. i VI.

<i>Nauki.</i>	<i>Godziny.</i>	<i>Nauczyciele.</i>
Fizyka, Hist. Naturalna	od $8\frac{1}{2}$ do 9	XX. Janicki i Zaczynski.
Hist. Powszechna, Polska i Jeografia	od 9 do $9\frac{1}{2}$	XX. Wasilowski, Stankiewicz i P. Szwaynic.
Arytmetyka, Algibra, Jeometrya.	od $9\frac{1}{2}$ do 11	XX. Malinowski i Janicki
Nauka Religii i Moralna	od 11 do $11\frac{1}{2}$	XX. Andraszek i Stankiewicz.
Język Polski.	od $11\frac{1}{2}$ do $12\frac{1}{4}$	X. Prefekt.
Język Łaciński i Grecki	od $12\frac{1}{4}$ do $1\frac{1}{4}$	XX. Wasilowski, Andraszek, Petrykowski i P. Szwaynic,
Język Niemiecki	od $1\frac{1}{4}$ do 1 minut 38	P. Packhäusser.
Język Francuzki	od 1 minuty 38 do 2.	P. Bonfils.

Do programmatu dołącza się rozprawa pod tytułem *Ver Sacrum* przez Professora SZWAYNICA.

VER SACRUM.

DE Vere sacro opiniones suas publici juris ante nos fecerunt Couturius et Boivinus, major natu, quum Leibnitz Gallorum colonias Legoveso et Boleveso, ducibus, in Germaniam et Italiam missas nomine VER SACRUM appellasset. Hac ille appellatione pecus in calamitatibus publicis votum diis, hic, adstipulantibus sibi in hac quaestione solvenda primae classis auctoribus, colonias ad exterarum gentes emissas intelligit. Nulli harum opinionum sua constabit veritas, si in remotiorem temporis vetustatem descendere, et animo liber illud Dionysii: (*) *natorum enim quemquam necare nolebant*, ad amussim examinare volueris. Ante hos sexdecem annos de Vere Romanorum sacro scripsit M. Bergerus Thorlacius (**). Ver sacrum,

(*) L. I. p. 13. Edit. Sylb.

(**) In prolus. et opusc. Acad. V. 2. Havniae 1812

inquit, non una ratione explicant, qui mentionem ejus injiciunt, scriptores veteres. Cum triplici varietate illud in antiquitate intellectum, observasse nobis videmur. 1) initio adhibita fuit ista compellatio de *anni foetu*; quem populus aliquis, publica pressus calamitate, *diis se consecraturum* voverat, ut inde liberaretur, isque foetus non fruges solum et fructus, sed jumenta quoque et pecora omnis generis completebatur. 2) Si talis pietas malum non compescuisset, *sanguinem humanum* posci putabat crudelis nonnullorum superstitio; sed cum eam immanitatem, licet oraculo postulatam, plerorumque animi reformidarent, inventum est hoc refugium, ut diis *devota capita* certis ritibus *e patria exigerentur*. 3) Ita factum est, ut homines a popularibus, his de causis et hoc modo ad sedes inter exteros quaerendas emissi, ut universe *coloni*, solenni ratione deducti ver sacrum s. sacrani dicerentur. Apud ipsos Romanos nullum, nisi primo quem attulimus sensu, veris sacri usum accepimus., Quamquam ego arbitror, Thorlaciium proxime verum sensisse, quaestio tamen de *Vere sacro* neque satis accurate, neque satis historice explicata esse videtur. Vix enim probabile est, *initio* compellationem

Veris sacri de anni foetu adhibitam fuisse, et potius existimamus, *Ver sacrum* eo sensu intelligi debere, quo apud Festum occurrit. Non pigebit igitur, quantumcumque possimus, in eo elaborare, ut opera quoque et studio nostro *Ver sacrum* illustretur. Quaestio ipsa monet, ut ab iis ordiamur, quae omnibus notissima sunt. Certissimis et locupletissimis comprobatum est testimoniis, plena est enim antiquitas, extitisse olim apud humanum genus sacrificia humana, cujus rei, ne lignum in sylvam conferre videar, insigne unum exemplum, quod apud Caesarem occurrit, (*) protulisse sufficiet. „Natio est, inquit, omnis Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter deorum immortalium Numen placari arbitrantur, publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus

(*) L. VI. C. 16. de B. G.

complent, quibus succensis, circumventi, flamma examinantur homines etc.”

Ne longius faciam, quid ex hisce et horum similibus jure poterimus colligere optimo? Id sane, fuisse olim tempus, quo homines quasi immanitate barbari generis sui victimis deos supplicarent, sacrificiaque talia orbis terrarum rectoribus suavissima esse religionibus imbuti crederent, quod mundi istas animas ratione atque intelligentia praeditas eximiis solum hostiis, hominibus, placari debere intelligerent (*).

Quid porro inde colligemus? Quum et testimoniis locupletissimis, et multorum populorum consensu comprobatum sit, humana quondam prole placatos fuisse deos, nonne, quod minime crudelem hanc rem superstitiosa putaret antiquitas, merito suspicari possumus, si pestilentia, aut alia calamitas, incidisset, vel reipublicae commodo id fieri videretur, immolatos fuisse, quos voto *sacros* fecisset, eosque ipsos *Ver sacrum* appellatione? Ita fuisse nobis persuasum volumus, et doctorum assensum in hac opinione nos habituros non

(*) Mirum in modum leviter versatus est hac in re Morinus, et rem apertissimam negare audet Cf. T. I. de l' Acad: des inscri. et d. B. Lettres.

dubitamus, eoque major nos tenet spes, quod scrupulum omnem, si quis adhuc animis inhaereat, evellet Macrobius (*). „ Nam quidquid, inquit, destinatum „ est diis, sacrum vocatur. Pervenire autem ad eos „ non potest, nisi libera ab onere corporis fuerit „ anima, quod nisi morte fieri non potest. Ita ergo „ opportune sacrum Halesum facit, quia erat oppeti- „ turus. Et hic proprietatem et humani et divini „ juris executus est. Nam ex manus injectione, pene „ mancipium designavit, et sacrationis vocabulo, ob- „ servantiam divini juris implevit. Hoc loco non alie- „ num videtur, de conditione eorum hominum refer- „ re, quos leges sacros esse certis diis jubent, quia „ non ignoro quibusdam mirum videri, quod cum ce- „ tera sacra violari nefas sit, hominem sacrum jus „ fuerit occidi. Cujus rei causa haec est. Veteres nullum „ animal sacrum in finibus suis esse patiebantur; sed „ abigebant ad fines deorum, quibus sacrum esset: „ animas vero sacratorum hominum, quos Graeci „ *zōvras* vocant, diis debitas existimabant. Quemadmo- „ dum igitur quod sacrum ad deos ipsos mitti non

(*) Cf. Lib. III. Satur. ad versum illum Virg. Aen. Injecere manum Parcae, telisque sacrarunt Evandri.

„ poterat, a se tamen dimittere non dubitant, sic
„ animas, quas sacras in coelum mitti posse arbitrati
„ sunt, viduatas corpore, quam primum illo ire vo-
„ luerunt.” Hoc testimonio de sacris hominibus co-
gnito, quum clare pateat, vocem *sacer* habuisse anti-
quitus sedem solum et domicilium in rebus ad reli-
gionem pertinentibus, quis est, qui neget, in tempe-
state aliqua anni voto consecratos deo *Ver*, vel *annum*
etiam, fecisse sacrum, hosque ipsos, antequam novo
more, politico nempe instituto, invaluerit, ut sub tu-
tela dei alicuius emitterentur sacrati, religiose immo-
latos fuisse? Quid quum in institutis publicis, ci-
vilibus Romanorum, ut hujus rei locuples est
testis Festus, liceret impune occidere hominem, qui
sacer ob maleficium factus esset, nonne sine religione
occidi potuerunt, qui religiose sacri Diis facti fuis-
sent? Parricidiine interfectores damnabimus, qui sa-
cratam immolassent prolem? Tantum abest, ut iudicio
jugulemus, ut potius voti reos, si id non fecissent,
diis peccaturos fuisse statuamus. Sed quid ego reli-
giosa a profanis deduco? Ex hac immo consecratorum
necessaria immolatione, quamdiu humana fiebant sa-
crificia, vere intelligitur, cur ob maleficium etiam

sacri impune occiderentur, intelligitur porro, cur *Ver sacrum* Sisenna (*), quum narrat, Sabinos vovisse, si res communis melioribus stetisset locis, se *ver sacrum* facturos, *religiosum* vocaverit, quod profecto omnia, quae ad votum pertinerent, diligenter relegerint (*), intelligitur denique, cur voti condemnati immolaverint hostias, voto damnati omnem etiam foetum anni statim consecraverint. Veris sacri, anni etiam, antiquissimam religiosam significationem etsi praemissis satis perspectam iam esse arbitramur, novo tamen, et id quidem firmissimo, quod apud Festum Paulus tradit, munimus documento: „Ver sacrum, „ inquit, vovendi mos fuit Italis, magnis enim periculis adducti vovebant, quaecumque proximo vere nata essent apud se animalia, immolatueros. Sed cum „ crudele videretur, pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam aetatem velabant, „ atque ita extra fines exigebant.”

Nihil profecto igitur, quod explicari debeat superesse videtur, ut, quid quondam *Ver sacrum* fuerit priscis, intelligatur. Quod quum ita sentio minime inficias eo, quum constet, antiquitatem non animan-

(*) Lib. 4. Histor.

(**) Cicero 3. nat. Deo.

tia solum, sed fruges etiam diis consecrasse, pecus quoque ad *Ver sacrum* pertinere potuisse. Nec tamen hoc loco quaerendum est anxie, eodemne tempore pecus et homines voverint antiqui, an, quum post sublata sacrificia humana, incoeptum esset fieri animalibus, pecus solum diis consecraverint. Hoc enim probare et difficile admodum, et inutile etiam foret, quod, etsi dubitari nequeat, in deorum cultu humanis substituta fuisse multis in locis animalium sacrificia, ver sacrum non semper mere religiosum, sed temporis progressu politicum quoque institutum, cum religione tamen arcte conjunctum, habendum sit, quum abundantem hominum multitudinem, ut discordiam, partium contentionem, et calamitates innumeras sedarent, rerum publicarum moderatores, iidemque olim deorum magistri, sub tutela dei alicuius ex finibus patriis emitterent. At probabile videtur, quum *Vere sacro* conderentur coloniae, certum quoque pecoris numerum fuisse missum, quo uterentur *vernae*. Quidquid statueris, jam nobis licebit, antiquissima *veris sacri* vi probata, docere, quomodo mos ille, et religiosum institutum immolandi homines abierit in desuetudinem.

multi

Inde iam a vetustissimis temporibus inventi sunt multi sapientes, juris sacri peritissimi, et inprimis qui *οιτυνῆς* et habebantur et dicebantur, qui summo-pere curabant, ne inferrentur, et, si qua essent, abolerentur victimae humanae. Apollinis sacerdotibus, antiquis maxime illis, ex quorum disciplina Pythagoram profectum esse constat, laus debetur praecipua, quod humana sacrificia ingrata diis, mente ac pectore puro colendos esse docebant. Non latet, Apollinem defendisse, ne ara sua Deli sanguine humano, sed ne sanguine quidem animali aspergeretur, „Miranda est, „ inquit, Macrobius (*), hujus Poetae, Virgilii, et „ circa nostra et circa externa sacra, doctrina. Neque „ enim de nihilo est, quod cum Delon venit Aeneas, „ nulla ab eo caesa est hostia, nisi cum proficisceretur, „ Apollini et Neptuno res divina facta est. Constat „ enim (sicut Cloatius Verus ordinatorum lib. 2 do- „ cet) esse Deli aram, apud quam hostia non caeditur, „ sed tantum solenni Deum prece venerantur. Verba „ Cloatii haec sunt: Deli ara est Apollinis *γυμνασιον*, in „ qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram, „ vel ut inviolatam, adorasse credunt. Hanc ergo

(*) Lib. III. Sat. C. 6.

„ esse, quae adoratur ab Aenea, *νυήρορας* aram Poeta
„ demonstrat. Siquidem templum ingressus Pontifex,
„ nullo acto sacrificio, statim inchoat precem, et ut
„ genitora expressius nominaret, *Da pater augurium.*
„ At vero cum taurum mox immolat Apollini et Nep-
„ tuno, apud aliam utique aram factum intelligimus.
„ Et bene supra tantummodo patrem, quod ibi propri-
„ um est, et infra, quod commune est, Apollinem
„ nominat. Meminit hujus arae et Cato de liberis
„ educandis in haec verba: Nutrix haec omnia faciebat
„ in verbenis, ac tubis sine hostiis, ut Deli ad Apollinis
„ genitivi aram.”

Dabitur procul dubio, quum et allata, et omnes, qui de Apolline mythi circumferuntur, hoc persuadent, Apollinis patris cultum, qui longe lateque in vetustate versabatur inter genus humanum, purissimum ex omnibus apud Ethnicos religionibus fuisse. Nec tamen negare quis audebit, procedenti tempore tantum deflexisse a primo statu suo, ut vix intelligerentur, quid sibi vellent, quique essent, qui se Apollinis dicerent filios. Quid plura, adeo apud multos populos aberravit a puritate illa, ut Apollini patri etiam macarentur victimae. Erant tamen ex naufragio tanquam

superstites, rari nantes in gurgite vasta, qui, profecti ex disciplina sacerdotum Apollinis, hominibus saltem paucis meliorem Deorum cultum traderent, et ita a pravitate religionis barbarae paulatim populos revocarent. Horum hominum cura factum est, ut aequae diis ac hominibus displicerent victimae humanae, et incoeptum substituere animalium immolationes in iis regionibus, ubi frustra Viri isti tentassent, uti statim fruges solum offerrentur diis. Hac via gradatim multi mortales ad innocentiorum pervenere cultum.

Rhodos constat inde coepisse, ut aliquem supplicio damnatum ad Saturnia usque servarent, Regem Cypry, Diphilum, pro homine Diomedii bovem sacrificasse, idque deo fuisse gratum, in Laodicea *Syriae Palladi* pro virgine immolabatur cerva. In Italia immanem deorum cultum mitigasse dicitur Hercules, postquam, posita in colle Saturnio ara, auctor fuerat, ut sanctae hostiae puris adolerentur ignibus, ne homines in Tiberim jacerentur. Persuasit demum, et ab hoc tempore oscilla ad victimarum similitudinem effecta atque ornata, servatis scilicet ritus antiqui imaginibus, quo scrupulum ex animis evellerent hominum, qui poenam ex deorum ira timebant, in fluvium mittebantur. „ Id

„ Romani, inquit Dionysius (*), ex eo tempore huc-
„ usque factitant paulo post vernum aequinoctium,
„ idibus Majis, quo die lunam volunt esse dimidiam.
„ Tunc enim peractis rite sacris Pontifices (id sum-
„ mum est sacerdotium), et cum his custodes immor-
„ talis ignis virgines, praetoresque et alii cives, quos
„ illi sacrificio interesse fas est, simulacra hominum,
„ XXX. numero, de sacro ponte mittunt in Tiberim,
„ quae Argaeos nominant.” Silentio quoque praeter-
eundum non est, quod idem rerum antiquarum
scriptor (***) narrat de Pelasgis, qui apud Dodonam
responsum, quod L. Memmius in templo Jovis sacro
litteris insculptum se vidisse ait, retulerant, ut per-
gerent quaerentes Siculam Saturnia rura, diisque
transmitterent decimas.

Δικάντες ἐκπέμψατε Φοίβη

Καὶ Κεφαλὰς Κροῖδον, καὶ τῶν πατρῶν πέμπετε Φῶτα

Quum igitur Pelasgi post suum in Siciliam adventum
diu humanis capitibus, vel, ut aliis placet, Diti fecis-
sent, et virorum victimis placassent Saturnum secun-
dum oraculum, in quo erat Φῶτα, Herculem demum
ferunt suasisse eorum posteris, ut faustis infausta

(*) p. 30. (***) p. 16.

sacrificia mutarent, ferrentque Jovi vel Diti non humana capita, sed oscilla ad eorum simulata effigiem; Saturnum vero non mactatis viris, sed luminibus accensis excolerent, quia utrumque et lumen et virum *φωτα* significet. Ex hac sacrificiorum mutatione Macrobius morem missitandi cereos per Saturnalia fluxisse tradit (*) „ Pelasgos, inquit, postquam felicior „ interpretatio, capita, non viventium, sed fictilia et „ *φωτῶς* aestimationem, non solum hominem, sed etiam „ lumen significare docuissent, coepisse Saturno Cereos „ potius accendere, et in sacellum Ditis arae Saturni „ cohaerens oscilla quaedam pro suis capitibus ferre. „ Ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus missitarentur, et sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, quae homines pro se, atque suis piaculum „ pro Dite Saturno facerent.”

Abolitarum victimarum apud Festum multa sunt documenta, quae superioribus intellectis partim compertiora fient, partim etiam illa tuebuntur „ Argaeos, „ inquit, vocabant scirpeas effigies, quae per virgines Vestales annis singulis jaciebantur in Tiberim.” Quae conferas velim cum Dionysianis istis, admitte

(*) Lib. I. Sab. C. 11.

que interlocutorem Varronem (*). „Argei fiunt e scir-
,, peīs virgultis. Simulacra sunt hominum triginta,
,, ea quotannis a ponte sublicio a sacerdotibus publice
,, jaci solent in Tiberim. ” Rem eandem Fastorum
libro 5. confirmat Ovidius.

Ad Festum redeo. „Capita deorum appellabantur
,, fasciculi facti de verbenis.” Struppos quoque dicta
fuisse constat. „Pilae et effigies viriles ex lana com-
,, pitalibus suspendebantur in compitis, quod (hunc
,, diem festum) esse deorum inferorum, quos vocant
,, lares, putarent, quibus tot pilae, quot capita servo-
,, rum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur,
,, ut vivis parcerent, et essent his pilis et simulacris
,, contenti” (**). In quibus Pauli notanda sunt verba,
ut *tot essent effigies servorum quot capita*, quae inde
explicari possunt, quod sacris interesse compitalibus
solum liceret hominibus infimi generis. „Laneae effigies
,, compitalibus noctu dabantur in compita, quod Lares,
,, quorum is erat dies festus, animae putabantur hominum,
,, redactae in deorum numerum.” Quum satis perspectum
sit, imagines, ut ritus servarentur, substitutas fuisse
sacrificiis humanis, quid tandem statuemus de Sexage-

(*) Lib. 6. L. L. (**) Paulus apud Festum.

nariis de ponte deiectis, de quibus est apud Festum.
„ Sexagenarios de ponte olim dejiciebant, cujus causam
„ Manilius hanc refert, quod Romam, qui incoluerint
„ primi Aborigenes, hominem sexaginta annorum,
„ qui esset, immolare Diti patri quotannis soliti fue-
„ rint, quod facere eos destitisse adventu, sed religione
„ postea veteris moris scripaeas hominum effigies de
„ ponte in Tiberim vetere modo mittere instituisse.
„ Alii dicunt, morante in Italia Hercule, quod qui-
„ dam ejus comitum habitaverint secundum ripam
„ Tiberis, atque Argeos se ab Argivis vocaverint ar-
„ vis, quorum proditam memoriam redintegrari, eo
„ gente missum ab Graecia legatum quemdam Argaeum
„ diu cum iis Romae moratum esse, his ut obierit, in-
„ stitutum a sacerdotibus, ut effigies scirpea ex omni-
„ bus, cum quae publicae erant rei nuntiavisset, per
„ flumen ac mare in patriam remitteretur. Sunt, qui
„ dicant, post urbem a Gallis liberatam post inopiam ci-
„ batus coeptos sexaginta annorum homines jaci in Tibe-
„ rim, ex quo numero unus filii pietate occultatus
„ saepe profuerit patriae consilio sub persona filii, id ut
„ sit cognitum, ei juveni esse ignotum, et sexagenarius
„ vita concessa, latebras autem ejus, quibus arcuerit

„ senem, id est, cohibuerit, et celaverit, sanctitate
„ dignas esse visas, adeoque Arceaeta appellata. Sed
„ exploratissimum illud est causae, quo tempore pri-
„ mum per pontem coeperunt comitiis suffragium
„ ferre, juniores declamaverunt, ut de ponte dejice-
„ rentur Sexagenarii, ut ipsi potius sibi, quam illi
„ deligerent imperatorem. Cujus sententiae est etiam
„ Sinius Capito. Vanam autem opinionem de ponte
„ Tiberino confirmavit Afranias in Repudiato.” Quin-
que discrepantes inter se opiniones, quinque diversa
retulit judicia Festus, ex quorum numero unicuique
datur optio. Mihi quidem, qui deorum sequor cul-
tum, et ad id animum attendo, non ingeniorum esse
commenta, quae de religionibus Veterum feruntur,
profanae istae sententiae nequaquam antiquissimum
illud homines de ponte dejiciendi institutum explicare
videntur. Nec igitur in quaestionem cadere potest res
notissima de transeundo ponte, quum in comitiis suf-
fragia essent ferenda, nec probari potest, quod de
cibatus inopia post deliberatam a Gallis urbem non-
nulli dicant. Solam autem veram hujus instituti cau-
sam eam, quam dedit Manilius existimo: Sexagenarios
nempe olim de ponte esse dejectos, ut deus, quem
colé-

colerent, supplicaretur, idque religiosum institutum mansisse puto, usque dum coloniae, quas ex Graecia Apollinis sacerdotes, reges, Lycaones mitterent, in Italiam venerint, et inprimis ad Herculis in has regiones adventum. Praeter deorum cultum in hac re adstipulari mihi reperio Macrobius, cujus haec sunt. (*) „Epicadus refert, Herculem, occiso Gerione, cum „victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui „nunc sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu „peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse, ut „aqua secunda in mare devecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur. Sed „mihi hujus rei illa origo verior existimatur, quam „paulo ante meminisse retulisse: Pelasgos postquam „felicius interpretatio etc.”.... Nec prorsus religionis colore destituta est eorum causa, qui legatum per flumen missum fuisse volunt in patriam. At in quamnam patriam? In Oceanum credo, cui multi mortales divinos tribuebant honores, ut quem rerum initium, seculorum finem, in quem ipsum etiam Jovem cum diis profectum fuisse tradunt, Deum esse crederent. Si quis

(*) Satur. I. C. 11.

idcirco ad flumina facta fuisse sacrificia existimaverit, non hunc errare dixerimus in opinione, cui praelucet Pastorum 4to Ovidius.

„Fama vetus, tunc cum Saturnia terra vocata est,
Falcifero libata seni duo corpora, gentes,
Mittite, quae Tuscis excipiantur aquis.

Donec in haec venit Tirynthius arva, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta modo.

Illum stramineos in aquam misisse Quirites.

„Herculis exemplo corpora falsa jaci.

Post substituta humanis sacrificiis simulacra et effigies ad hominum, ritibus antiqui cultus salvis, similitudinem effecta magnam rerum mutationem esse factam nemo negabit, nec non clare ex superioribus patet, mitiorem cultum ab Hercule imprimis illatum fuisse in Italiam, abolita humana sacrificia ejus adventu, quorum adhuc in multis Italiae regionibus, ac si liberos devorans Saturnus regnaret, usus et vestigia superebant, quamvis constat, multum jam ante Herculem harum regionum incolas profecisse in cultura, ubi his terris appulerant Lycaonum coloniae, ut imprimis cui dux erat Evander (*), solis sacerdos, dei Apollinis.

(*) Si nihil nisi nomen spectetur, fausti ominis fuisse dixeris, quod magis quoque apparebit, si contendamus ex oriente nomen traxisse: ab Oen nemque, quod solis est nomen.

Mitioris hujus culturae haud leve profecto est documentum Herculis primum cum Caco certamen, loci dicunt, accola, qui captus pulchritudine boum, quos, Gerione interempto, prae se gerebat Hercules, avertere praedam instituit, mors deinde Caci clava icti, et facinoris ab Hercule perpetrati delatio ad Evandrum, qui tunc temporis regebat ea loca, virum literarum miraculo venerabilem. Hic postquam facinus, facinorisque causam audivit, intuens formam divinam prope hominis, rogitat, qui vir esset. At ille Jove se natum dixit, Herculemque vocari. Quibus auditis, salve mihi, inquit. Praeclara haec fabula, boves ablati et recepti, dei solis et agriculturae symbola, mors denique Caci docent evidentissime optime meritum fuisse de genere humano, quod his adhaerebat terris, Heracleni, quem recte victorem dicere poteris ad instar dei ipsius, Herculis, quem hoc insigniunt nomine, quod ferorum animalium victor extiterit. Ex hac praeterea procedit fabula, simillimum fuisse Herculis cultum illi, quem ante iam intulerat Italiae Evander, quod et ex amica Herculis ab Evandro exceptione patet(*), et ex

(*) Vide opus omni doctrinarum copia instructum, cui est titulus: *Histoire Romaine*. p. 126. editum Varsaviae 1824. A. E. Zinserlingii

appellatione ipsa *Heracles* apparet. Nec non causae testimonium est, quod fabula bovet agentem facit Heculem. Jam vero in Apollinis cultu boum omnia sunt plena: boum pastor est Apollo, boves Apollini furto aufert Mercurius, infans etiam, boves in numero magno habentur ab Apollinis sacerdotibus, qui summo pere hominibus agriculturam commendant eo sane consilio, quod omnem immanitatem ab humano genere procul remotam habere voluerint. Quis igitur jure contendere poterit, Herculis cultum fuisse diversum ab illo, quem professum esse constat Evandrum? Quis dubitare, colonias ex Graecia, quae in Italiae regiones venerunt, magnopere molisse incolarum mores, mitigasse crudelem, qui apud eos vigeat, deorum cultum. Ego mihi ipse assentior, et, quum mitiorem cultum in diem magis magisque amplecterentur homines, optimo jure contendere possum, in vere sacro mutationem quoque esse factam, et id esse, quod Paulus testatur. „ Sed cum crudele videretur pueros, ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam aetatem velabant, atque ita extra fines exigebant. „ Res profecto indigna ex hinc videbatur et deorum immortalium majestati et naturae, hominum autem nro-

ribus prorsus contraria, aras aspergi divinas sanguine humano, inprimis quod invenirentur multi legistatores, qui imagines etiam coli defenderent, quum dii cogitatione et sola mente rite supplicari possint. Quum tales inter homines clari versarentur viri, iidemque et reges, et rerum publicarum moderatores essent, facile lex sacra ferri potuit, ut, quos adhuc in aris sacros immolassent Saturnis, in posterum finibus emitterent ad exteras gentes. Quo ex praeclara instituto innumera fluxere bona: Vere sacro effugiebant antiqui discordias civiles, quae propter nimiam hominum multitudinem moveri potuissent, componebant partium contentiones Vere sacro, effugiebant bella, quae nunc geri nonnunquam propter incolarum abundantiam ipsa urget necessitas, Vere sacro icta sunt amicitiae foedera cum longe remotis populis, Vere sacro negotiandi gratia vincula sociata. Politicum fere, ut videtur, fieri coepit institutum, quod magis religiosum fuerat, arcto tamen cum religione vinculo conjunctum. Testimonio est, quod voto fierent sacri: religionis est indicium, quod velatis capitibus ex patriis exirent terris: ad religionem pertinet, quod abiturae lustrarentur coloniae: religionis est triumphus, quod fere nunquam coloniae Romanae,

etiãmsi non essent factae vota sacrae, tumultuarent. Quodsi accidisse unquam traditur, tribuniciis id machinationibus evenisse constat. Religionis non leve indicium, quod vere sacrarentur homines intra Calidas Martias et pridie Calendas Majas, ut laetius excrescerent vernaë, tempore igitur, quo dii aperiebant annum. Religionis denique gravissimum documentum est, quod plerumque deo alicui voverentur, sub cujus tutela felicia et fausta omnia evenirent vernis, immo dei etiam nomine appellarentur, ut habet Festus sub voce Mamertini: „Mamertini, inquit, appellati sunt hac de causa: cum de toto Samnio gravis incidisset pestilentia, Sthenius Mettius ejus gentis princeps, convocata civium suorum concione, exposuit, se vidisse in quiete praedicantem Apollinem, ut si vellet eo malo liberari, ver sacrum voverent, id est quaecunque Vere proximo nata essent, immolatueros sibi. Quo facto levatis post annum vicesimum, deinde ejusdem generis incessit pestilentia, rursus itaque consultus Apollo respondit, non esse persolutum ab iis votum, quod homines immolati non essent: quos si expulissent, certe fore, ut ea clade liberarentur. Itaque ii jussi patria decedere cum in parte ea Siciliae consedissent, quae

nunc Tauricana dicitur, forte parantibus bello cernere Messaniensibus auxilio venerunt ultro, eo:que ab hoste liberarunt provinciales, quod ob meritum eorum, ut gratiam referrent, et in suum corpus, communionemque sacrorum invitarunt eos, et nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini, quod conjectis in sortem duodecem deorum nominibus Mamers forte exierat, qui lingua Oscorum Mars significatur, cujus historiae auctor est Alfius libro primo belli Carthaginensis., Ex hac vernarum a diis appellatione moneri quoque videmur, docte disputari posse de origine gentium, de affinitate populorum, de deorum cultu, et ipsa denique cultura humana, si cui animus esset hunc recipere laborem. Ad Romanos accedo, quos Vernas appellat Festus, Vernae, inquit, qui in villis vere nati, quod tempus duce natura foeturae est, et tunc rem divinam instituerit Marti Numa Pompilius, pacis concordiaeve obtinendae gratia inter Sabinos Romanosque ut Vernae vincerent. Romanos enim vernas appellant, id est, ibidem natos, quos vincere perniciosum arbitrium Sabinis, qui conjuncti erant cum populo Romano." Veri igitur sacro originem suam referre Romam et ex allatis apparet ex Festo, et assen-

tator laudari quoque potest Nonius, qui Vernarum nomine eos solum appellatos fuisse olim tradit, qui vere sacro nati essent. Facile est inde conjicere, in Vernarum numero Curiales quoque poni oportere, cujus rei praeterea testis esto Servius, qui refert, in sacris Tiburtibus sic Curionem esse precatum Junonem Juno Curialis curru clypeoque tuere meos Curiae Vernulas. Procedenti demum tempore factum est, ut vernae solum appellarentur ex ancillis civium Romanorum nati. Vernae, habet Paulus apud Festum, appellantur ex ancillis civium Romanorum vere nati, quod tempus anni maxime naturale foeturae est” Ad Festi illa de vernis, si quid testimonii opus est, et ad Romanorum originem indagandam maxime haec pertinent Dionysii (*). „Defuncto Amulio Numitor quum primum instauravit imperium vitialemque diutina tyrannide formam reipublicae in pristinam integritatem restituit; mox cogitavit de paranda juvenibus propria ditione, novaque urbe in hac condenda: simulque urbanam multitudinem vehementer auctam numero minuendam censebat, semotis potissimum adversae factionis hominibus, ut liber a suspitione degeret, ita-

(*) Lib. I. p. 72.

que communicato cum juvenibus consilio, postquam et ipsis idem placuit, dat eis agros, ubi educati fuerant in pueritia, populi quoque suspectam partem, nequando res novas moliretur, et si quibus sponte migrare licebat, eis attribuit; in his erat magna plebis pars, ut fieri solet in migrationibus; non pauci etiam ex Optimalibus nobiles, Trojani quoque generis nobilissimi quique, ex quibus aliquot gentes ad nostram aetatem supersunt, quinquaginta ferme familiae. Acceperunt autem juvenes pecuniam, arma, frumenta, mancipia, jumenta deportandis oneribus, et si quid aliud ad urbis aedificationem erat accomodum. Educto ex Alba populo miscuerunt quotquot circa Pallantium et Saturniam reliqui erant indigenae, divisa in partes duas omni multitudine." Quid vero nunc pro sua sententia allaturos esse putabimus homines, qui Romanos ex abjecta turba, servis, latronibus etiam oriundos censuerunt? Quid dicturos, qui longe etiam post reges pulsos semibarbaros vocitant Romanos, homines scilicet, quorum respublica bene morata et praeclare instituta erat sub regum autoritate? Quid denique, quorum jam corrui hypothesis, qui nullis ducti idoneis argumentis, ingenii commento Etruscam gentem



Romae matrem dederunt? Hic quoque est locus, qui praelecebit, siquis funditus indagare voluerit statum Albani imperii, regnantibus Amulio et Numitore, inquirere, cur tot nobilissimae familiae, Romulo Remoque ducibus, profectae fuerint, ut alteram conderent rempublicam. Hoc loco explicabitur partim, cur Romulus post extinctam prolem regiam Albae non inierit haereditatem Albani regni. Cur verò nobilissimae istae familiae Quiritum habuerint nomen, quibus olim hominibus solum appellatio haec propria fuerit, cur coloniam hanc Albanam Quiritum vocaverint Veteres, quum constet temporis progressu incolas omnes comuni nomine dictos fuisse Romanos, quae Quiritum privilegia, quid jus Quiritium, in quo explicando non tantum coecutiisse, sed portenta quoque protulisse juris peritos sciunt docti; et nos olim in hac re satis multi fuimus. Sed non diis solum referebant vernae nomina sua, verum multi quoque ab animalibus appellati sunt populi, pice nempe, tauro, lupulo, aliisque animalibus, quae diis sacra deorum symbola habebantur. Cujus rei suffragator est Festus, qui narrat: Picenam regionem hoc dici nomine, quod Sabinis, cum Asculum proficiscerentur, in vexillo *piceus*

consciderit, ejusdem rei meminit Strabo lib. 5. Geo. Pice-
 nos nempe nactos esse inde nomen, quod ductu et au-
 spicio Pici, avis Marti dicatae, ex Sabinorum terra
 profecti fuerint. Hirpinos quoque Samnitiae gentis
 ex lupo, qui eis in deducenda coloniae oblatu sit, ne-
 men adeptos fuisse tradit libro eodem. Samnites enim
 lupum vocant hirpum. Picenorum et Hirpinorum
 mentionem feci, non ut eos vere sacro ortos contende-
 rem, sed eo consilio, ut probarem, animalia diis sacra
 dedisse quoque populis nomen. At audacter, jure enim
 optimo, contendi potest, Mamertinos, Sacranos, Sabi-
 norum coloniam istam, cui Mars ducem exhibuerat
 taurum, Romanos etiam originem suam Veri sacro de-
 bere. Ad Sacranos praeter Festum, quem ante de eo-
 rum origine citavi, audire lubet Servium, qui ad lib.
 7. Aen. V. 796. „Et sacrae acies, et picti scuta Labici”
 adnotavit, Alii sacranas acies Ardeatium volunt, qui
 aliquando cum pestilentia laborarent, ver sacrum vo-
 verunt: unde Sacrani dicti sunt. Ver sacrum autem
 immolationis est genus: mos enim Italis fuit, ut ma-
 gnis in periculis adducti voverent, quaecunque pro-
 ximo vere nata essent apud se animalia, immola-
 turos.” Restat tantum, ut vovendi tradamus for-

mulam, quae apud Livium lib. XXII. C. 10. occu-
rit, ad quam cum Brissonio monitum velimus, nam
sensit vir doctus, vovendi formulas subisse mutationes,
non plenum id fuisse Romanorum votum.

L. Cornelius Lentulus Pontifex maximus in haec
verba regavit populum. „Velitis jubeatisne hoc sic fieri?
si respublica populi Romani Quiritium ad quinquen-
nium proximum, sicut velim eam, salva servata erit
hisce duellis; datum donum duit populus Romanus
Quiritium, (quod duellum populo Romano cum Kar-
thaginiensibus est, quaecunque duella cum Gallis sunt,
qui cis Alpes sunt), quod ver attulerit ex suillo, ovillo,
caprino, bovillo grege, quaeque profana erunt, Jovi
feri, ex qua die Senatus populusque jusserit. Qui faciet,
quando volet, quaque lege volet, facito: quomodo faxit,
probe factum esto. Si id moritur, quod fieri oportebit,
profanum esto, neque scelus esto, si quis rumpet, oc-
cidetve insciens, ne fraus esto, si quis clepsit, ne popu-
lo scelus esto; neve cui cleptum erit, si atro die faxit
insciens, probe factum esto, si nocte, sive luce, si servus
sive liber faxit, probe factum esto. Si anteidea senatus
populusque jusserit fieri, ac faxit, eo populus solutus
liber esto.”

INSTYTUT

ADAŃ LITERACKICH PANI
BIBLIOTEKA

00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 72
Tel. 25-68-63



WYBÓR ANI WYBÓRCA

